

Dissertatio medica inauguralis, de phthisi pulmonali scrophulosa : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subijcit Thomas Concanen, Hibernus, Soc. Reg. Med. Ed. Sod. Ejusdemque ad acta edenda ab electis, necnon, Soc. Americ. Physic. Sod. Extraord.

Contributors

Concanen, Thomas, 1767-
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1788.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cq476hfz>

Provider

University of Glasgow

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Phthisi Pulmonali Scrophulosa.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS CONCANEN,

HIBERNUS,

Soc. Reg. Med. Ed. Sod.

Ejusdemque ad acta edenda ab electis;

Necnon,

Soc. Americ. Physic. Sod. Extraord.

This caustic venom may perhaps corrode

Those tender cells, which draw the vital air,

In vain with all their unctuous rills bedew'd.

ARMSTRONG on Health.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVIII.

IN A U G U R A L I S

U E

18thid Palmontii Scrophulola

0 5 M

REPERTA QUONIAM

et adhibita sunt

GUILLELMI ROBERTSON, S. P. T.

EDINBURGH

1841

AD PUBLIUM

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

A T R I C I O B E L L E W,

EQUITI BARONETTO DE BARMEATH,

IN COMITATU LUGENSI,

S. P. D.

T H O M A S C O N C A N E N.

Ingrati animi, vir illustrissime, haud immerito arguerer, ni primam solamque arriperem occasionem beneficia in meos collata, saepeque parente commemorata, heu! multum defleto, grate praedicandi. Assentationibus tritis gratiam aucupari vestram nequaquam in animo est; decoris enim virtutisque majorum illustrium aemulus vix verbis decorari potest. Accipias igitur, generose, omissis laudibus tibi ipsi parum gratis, opusculum, quod parvi duceret auctor, occasionem ni praebeat quantum tibi sit devinctus palam profitendi.

Dabam Edinburgi. Maii }

Die xxviii. 1788. }

Mr. Kart

Surgeon

with best Compts.
from his humble Servant.

Thos. Spencer

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Phthisi Pulmonali Scrophulosa.

ARGUMENTUM ex re medica quoddam defumptum, more affueto, mihi tractaturo, nullum occurrebat, majorem sibi jure vindicans attentionem, quam quod morbi cujusvis naturam, causas, methodumque medendi aperiret; et quoniam omnium, qui corpus invadunt, perpauca saepius occurrunt, symptomatibus magis diris stipantur, aut in eventu magis nocent phthisi pulmonali, de ea differere decrevi.

A DEFINITIO.

D E F I N I T I O.

“ Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre
 “ hæctica, et plerumque expectoratione purulenta *.”

H I S T O R I A.

Morbum sæpius tussis brevis sicca præcedit, qua aeger minime inquietatur, quoniam catarrho tantum, in quo nihil periculi latet, laborare sibi videtur. Huic, primo soli symptomati plurima cito superveniunt, spirandi difficultas brevi sequitur; pulsus etiam aliquanto postea acceleratur, cum tamen caetera febris symptomata plerumque absint. Jam aeger languidulus esse, moveri nolle, et ponderis præcipue circum pectus sensum experiri molestum coepit. Symptomata supra memorata, in hac plaga, sub hieme et vere valent; veruntamen in aestate adeo remittuntur, ut aegro nunquam

* Vid. Culleni Synop. Nosol. Method. Vol. ii.

quam reditura esse spes faepissime innascitur; misere tamen fallitur; hieme enim ineunte, tuffis quam antea violentior, et multo, praecipue sub noctu, cum recumbatur, molestior evadit *. Nunc in thorace dolores sentiuntur lancinantes, qui mox uno inhaerent loco, et ex inspiratione, vel accessu violentiori tuffis, multo auctiores fiunt. Morbo sine periculi metu ita progrediente, nullus accersitur medicus, nulla adhibentur remedia, donec morbus aegro tam potitus fuerit, ut eum prorsus tollere non solum fere impossibile fit, sed etiam levare difficillimum. Raucitate superveniente aspera, dolores aegri haud parum augentur. Oculi hebescent; vultus palescit; tuffi rarissime remittente agitatur; noctes fere exsomnes aguntur, et si aliquando obdormiret, membra quiete tali non soventur, nec vis symptomatum mitigatur. In mulieribus, hoc in morbi stadio, menstrua subsistunt. Tuffim, quae primo sicca dicta fuit,

sputum

* Gregorius cel. in praelect. suis clinicis de muliere quadam generosa narrat, quae aliqua morbi hujus symptomata, hieme vereque per annos circiter viginti, patiebatur, aestate quodammodo convalescere solebat; tandem vero nil levaminis per aestatem nata, mense Julio petiit.

sputum nunc comitatur: ‘Hujus expectorationis ma-
 ‘teries (secundum Cullenum illustrem) magis copiosa,
 ‘viscida, et opaca fit; color tandem subflavus vel sub-
 ‘viridis specieque purulenta evadit; tota tamen mate-
 ‘ries hanc conversionem simul penitus non subit, sed
 ‘alia parte adhuc communem mucii speciem retinente,
 ‘alia modo supra dicto mutatur.’ In materie expecto-
 rata lineas sanguinis aliquando notare possumus; pul-
 sūm, primo tantum leviter mutatum; jam autem, Reid
 asseverante, ‘crebrum et juxta ac funiculum aliquando
 ‘durum;’ et, ut etiam addit, ‘plenum et laborantem’
 observare licet*. Unoquoque symptomate jam gra-
 vescente, et morbo tandem confirmato, febris hectica
 supervenit. In hac febre exacerbationes binæ singulis
 diebus occurrunt; prima ad meridiem, quæ minus fa-
 cile discerni potest, et quam secunda, quæ multo ves-
 pere succedit, minus violenter agit. In prima ad quin-
 tam post meridiem horam symptomata mitescunt; in
 altera vi haud imminuta usque ad secundum post me-
 diam noctem horam persistant. Hanc et illam languor et
 horripilatio, febrium ineuntium semper fere comites,
 prae-

* Reid on Phthisis Pulmonalis.

praecedunt. In utrifque fenfus moleftiae, caloris fitifque incrementum, circulatio fanguinis accelerata, refpiratio et expectoratio perdifficiles, exacerbationum progreflum demonftrant. Huic ftatui alius fuccedit, in quo fymptomata multo remittuntur, inquietudine intermiffa, calore multo diminuto, fiti levata, pulfu lentiore facta, expectoratione aucta, dyfpnoea aliquatenus fublevata, et tuffi, quae graviter urgebat, laxata *. Haec remiffio, haec fallax mutatio credulum aegrum vana fpe implere faepiffime folet, et animi tranquillitatem inducit, unde ulla morbi conditio eum vix excitare poteft. Sudores exacerbationes vefpertinas nunc comitantur, et peftore fuperioribusque partibus erumpentes, levamen quoddam afferunt. Hoc in morbi gradu fanguinis ad faciem fluxus, poft cibum praecipue, ardorque in manuum palmis pedumque plantis, faepe notatu veniunt. Interea macula rubri caloris in utraque gena circumfcripta oritur, et labia carunculaeque lachrymales praeter folitum rubrae videntur, urina, morbo incipiente rubicunda, jam fedimentum furfurofum lateritium relinquit, et hoc ipfo tempore, cum unumquodque fere exacerbationis febrilis

fymptoma .

* Reid on Phthifis Pulmonalis.

symptoma adest, abest tamen capitis dolor, et fere fitis. Utcunque mirum videatur, testimonio tamen fere omnium scriptorum, cibi appetentiam, vel haud omnino diminutam, vel saltem quam in aliis febribus multo acriorem extare, confirmatur. Os est humidum, et lingua nitida, longinquiori tamen progressu paullulum inflammata aphthisque cooperta videtur. Quibusdam in aegris anima maxime foetida occurrit. Hoc in loco peculiaris, quam prae se fert oculi tunica adnata, species silentio minime praetereunda est, superficiei pristinus rubicundus color deest, quippe quae jam pallida et alba evadit. Alvus initio morbi fere dura, nunc soluta fit, cujus fluxus colliquativus dictus cum sudoribus nocturnis interdum alternare videtur. Jam ad extremum morbi perventum est, cum macies et debilitas rapidissime progrediuntur, mox vitae doloribusque aegroti finem impositurae. Vultus pallidus evadit; oculi excavantur, et tabescunt; nasus mentumque acuuntur; tempora cava fiunt et depressa, et malae prominentes; capilli decedunt, ungues adunci, expectoratio copiosior, sudores effusiores, remissionesque febriles vix percipiendae evadunt. Brevi tamen ante mortem spatio,

symp-

symptomatum vis minuitur; sputa et sudores multo subfidunt, et exacerbationes minus laceffunt, quamquam nunc primo pedes oedemate afficiuntur. Vel hoc etiam morbi stadio nec aeger periculum, quo versatur, aperte videt; brevi tamen delirium nascitur, et mors aegri infelicis spes, dolores, vitamque claudit. Haud supervacaneum videtur, quod luculentus de hoc morbo scriptor affirmavit *, notare nempe ‘pelluciditatem candoremque dentium,’ infigne esse ejus indicium. Penitus fere usu expers hanc sententiam nec suffulcire nec refellere possum. Dr Reid tamen, qui in hoc morbo plurimum versari videtur, de hoc symptomate verba faciens, ‘nil certum inde deducendum ad morbi diagnofin,’ affirmat.

VARIÆ DE HECTICÆ CAUSA SENTENTIÆ.

Multa de ratione symptomatum excogitata sunt; pleraque tamen, sicut ego existimo, sunt ad ea explicanda
 minime

* Dr Foart Simmon's new method of treating consumptions.

minime idonea. Varia dogmata, hac de re edita, pendere multa vetant; praecipua tamen enumerare haud inutile videtur. Sennertus, in hac re tractanda *, hujus febris exacerbationes stimulo cibi, in corpus recepti, attribui oportere pro certo asserit, haec theoria vero fragili nititur fundamento; jentaculum enim vix exacerbatio comitatur, et in iis regionibus, ubi multo die prandetur, exempla haud pauca non desunt febris quaedam ante prandium horas redeuntis; ad hanc sententiam refellendam sufficient fortasse jam prolata, si quis tamen penitus rejectam videre velit, ad Primas Culleni Lineas aspiciat †. Ab aliis alia proposita fuit sententia, qui febrem hancce debilitati corporis imputabant; parum vero, me judice, hujusce veritatem stabilivere: Exsensationis, motuumque spontaneorum defectione, pulsus languore, respiratione difficili, forma oris collapsa, multisque aliis signis typhum comitantibus, nonne colligendum est aegrum summa versari debilitate? nunquam vero in hac febre notatu veniunt hecticae symptomata. Eaedem observationes accurato investigatori occurrunt

in

* Lib. 3. cap. 11.

† Vid. vol. ii. sect. 359.

in pestis indagandis symptomatis, quam eximius noster Nosologus (Cullen) "typhum cum summa debilitate," ex parte definit, et quo in morbo hecticae febris signa nequicquam inquirimus. Multa quidem exempla extant debilitatem summam ex haemorrhagia immoderata inductam fuisse, in quibus sanandis medico hecticae obviam ire minime necessarium fuit; his vero, omnibusque aliis, debilitate stipatis, morbis hectica consociarentur, si vera esset hypothesis supra notata; eaque nunc ablegata, ad alteram pergam sententiam, Doctoris Reid nempe, medici nequaquam ingenio expertis, quam sequentibus aperire conabor. Ex obstructione, quam inflammatio, tubercula, vel vomicae gignunt, pulmones in inspiratione aëra recipere, vel expiratione vim fluidi solitam emittere non posse existimat, et hujus retentionem hecticae febris causam esse praecipuam; hoc enim expulso, morbus multo remittitur, eadem tamen obstructione persistente, in eodem cursu perseverabit*. Huic theoriae multa, et, ni fallor, non refellenda obijci possunt. At si hypothesis admitteretur, res perdifficilis ex ea rationem certam reddere foret, quomodo

B

hujus

* Reid on Phthisis Pulmonalis.

hujus morbificae materiei, ut appelletur, retentioni signa hac in febre obtinere observata adscribi possunt. In asthma laborantibus, ubi respiratio multo magis quam in phthificis impeditur, perpauca extant exempla febris hecticae morbo adjunctae; quaedam occurrisse sane confitendum est, adeo pauca tamen ut nil ex iis colligendum sit. Aliud argumentum, quod urgere vellem, sequitur. Si (ut auctor ex suis principiis negare nequit) fluidi retentio febrem hecticam efficiat, certe concludendum, quo plus fluidi expellendum restare, eo graviolem exacerbationem fore; res tamen aliter sese habet; paroxysmus enim meridionalis, cui ex intermissionis diurnitate accumulatio repletior necessario obtinebit, minus violentiae et durationis habet quam vespertinus, paucarum etsi horarum spatio tantum dividuntur. Quanquam minime stabilitae mihi videntur haecenus recensitae sententiae, plura tamen faciunt ut vulgari esse opinione, quae puris absorptioni febrem hancce adscribit. Multa ad hoc evincendum prolata sunt a variis auctoribus argumenta; quae omnia hic enumerare dissertationis angustiae prohibent: Quibuscunque igitur in votis est ea perpendere, eos ad

Mortoni,

Mortoni, Martinii, Barry, Robinsoniique scripta relegam. Unum saltem sequens, quod in praelectionibus clinicis Gregorius celeberrimus porfert, transcribam; testatur se accepisse a fide dignis unum alterumve observatum fuisse exemplum, quod cum ab ulceratione partis externae hectica exorta esset, spongia ita admota ut pus absorberet, omnia hecticae indicia brevi evanescerent, vel saltem multum levarentur, rursus amota spongia reditura: Experimentum quidem crucis, ut dicunt, hocce videtur, adeoque manifesta ex eo patescit inductio, ut nullum exigatur commentarium.

D I A G N O S I S.

Cum morbus longe procefferit, a caeteris facile discerni potest; macies enim summa, expectoratio purulenta, hecticae febris signa, et quaedam alia, verum aegri morbum medico manifestum reddunt. Incipientem tamen morbo, eadem perspicuitas non obtinet; difficile enim ab aliis, praesertim a catarrho, distinguitur: Diligentissime

ligentissime vero ad utriusque morbi symptomata attendendo, haec difficultas magna ex parte dimovebitur. In hoc tuffis est sicca, et interdum, nec infrequenter, remittitur; dyspnoea haud nullius momenti occurrit, et aeger dolorem sentit, dum alterum super latus recumbit. In illo tuffis est stabilior, expectoratio cum morbo nascitur, anhelatio non valde obtinet, nec praeterea de singulari positione, utpote molesta, queritur. In phthisi praedispositionis signa multa occurrunt, et nequaquam levatur morbus a medicamentis, in catarrho saepissime haud infeliciter adhibitis; in catarrho tamen signa talia non invenienda, et morbus medici diligentiae demum cedit. Medici, cum sputa in catarrho ex muco, et in phthisi ex pure composita, comperissent, alia rejicere indicia, et ad materiem expectoratum animam advertere soliti sunt. De hac re diversi auctores diversas sententias tradidere; pleraeque tamen oblivioni damnantur. Alii gravitatem consulere specificam ad discrimen inter pus et mucum stabiliendum; sed huic inest dolus; pus enim aere repletum, muco aere experte levius evadit. Hoc in loco libellum, apud Groningen anno 1785 editum, auctore Brugmans Medico Batavo

(quod

(quod Culleni nostri beneficio perlegere mihi contigit) silentio nequaquam praetereundum est; de hac re Brugmans copiosissime differit, dogmata scriptorum de ea memorat, et rationes, quare ab iis dissentit, accurate reddit. Quod de pure et experimentis quibus, uti contendit, pus a muco distinguendum, ipse sentit, in verbis ipsius describam: ‘ Prompte tamen non minus
 ‘ quam certo mucum a pure distinguemus, si ad corruptionem attendemus; mucus nimirum in balneo
 ‘ calido, aut et in moderato atmosphaerae calore, diutissime blandam servat indolem, nunquam in acidam, ac
 ‘ tardissime in putridam transit fermentationem; hinc
 ‘ nunquam mucus putrido foetore ejicitur; pus, e contra, ut vidimus, brevi manifesto acefcit, ac dein cito
 ‘ etiam satis putrescit, foetit, alcali emittit volatile. Si
 ‘ ergo de sputis quaeratur, sintne ex muco an ex pure, ad sequentia attendendum puto. 1. Si foeteant, non
 ‘ tota muco, sed pure degenerato ex parte constant.
 ‘ 2. Si acefcant sputum, hoc quoque de pure est degenerato. 3. Si non foeteant, post brevem moram, juxta
 ‘ ea quae dixi, res cognoscatur. Sed aliquando mucus ac pus mixta sunt, quod quidem per aquam satis dete-
 ‘ gitur;

' gitur; affundatur scilicet aqua, leviterque agitetur
 ' cum materie examinanda, mox decantetur, et quod
 ' remanet in fundo, aeque ac illud quod in liquore de-
 ' cantato subsidet, separatim in loco calido ferventur;
 ' quod si jam ex mucositate et pure sputa constiterint, et id
 ' quod in fundo residuum fuerit non corrumpatur, dum
 ' quod in aqua decantata subsidet, acidam ac putridam
 ' absolvit fermentationem, indicio erit, hoc fuisse pus et
 ' illud mucum *.' Michaelis inter alia discrimina dicit,
 quod ' verum pus igni admotum ardeat, mucus flam-
 ' mam non concipiat †.' An distinctiones supra dictae
 admittantur, necne, nescio; diligentiam tamen in inqui-
 rendo, qua usus est, fidem ei confirmare oportet, saltem
 dum ad opiniones ejus refellendas experimenta desunt.
 Ut huic dissertationis parti finem imponam, ex variis
 solertis Darwin experimentis, pauca, quae sequuntur,
 seligere liceat; si aqua solutioni puris in acido vitrio-
 lico addatur, ad imum subsidet, et cum agitetur, uni-
 versa fit turbida; cum aqua vero solutione mucositate in eo-
 dem

* Brugmans de Puogenia, pag. 75.

† Vid. Tractat. de Angina Polyposa, pag. 102.

dem acido miscetur, mucus disjungitur, super aquam fertur, aut in mistura suspenditur. Si aqua solutioni puris vel mucii in alkali caustico fixo, hoc praecipitatur, dum illud solutum manet †. Pleraque experimenta Caroli Darwin reprehendit Brugmans, quia, ut dicit, nequaquam in pus *verum* instituta sunt; jam memoratis vero nil objicere videtur.

P R O G N O S I S.

De hujus morbi terminatione raro possumus bene sperare, quoniam longius plerumque processit, priusquam dolores aegrum ad medicum arcessendum inducant. Medicus vero tempestive accersitus, in judicando de eventu morbi; *1mo*, Ad causas remotas; *2do*, Ad symptomata urgentia; Et, *3tio*, Ad conditionem expectorationis quatenus qualitatem, et si rem minoris momenti meminisse liceat, quantitatem attinet, animum

advertere

† See Darwin's Experiments.

advertere debet. Quum inter sese causae excitantes adeo diffideant, quin aliae alium inducant morbi statum, nemo, me iudice, negabit; melius tamen de singularum viribus, inter se collatis, disceptare possumus, quum de causis ipsis excitantibus agitur. Ne hoc in loco, quod ad aliam dissertationis partem pertinet, introducam, ex causis praedisponentibus, prognosin nullam diducere conabor, nisi quod quo vehementior obtinet praedispositio, eo violentior morbus futurus fit. In prognosin faciendo, medicus symptomata summa cum attentione observare debet. Si morbo ineunte vires sint integrae, respiratio libera et facilis, tussis non permolesta, corporis calor non admodum auctus, vox clara et sonora, nec somni dolore interpellati, sanum evasurum spes jure injicitur. Verumenimvero morbus plerumque in morte terminatur, nec ita sese habiturum pronunciare deliberandum est, cum macies magnopere obtinuerit, cum sudores copiosi, quibus intermittentibus diarrhoea aequae profusa, morbum comitantur, cum aegrotus constanter tussi vexatur, nec minus respirandi difficultate premitur; denique cum capillorum defluivium, unguis adunci, et oedema crurum debilitatem

summam

summam adesse demonstrant, mortemque subsequutam denuntiant. Expectationis conditio proxime perpendenda; de qualitate in diagnosi satis dictum, et quo propius sputa ad puris naturam pervenire, eo periculosiorem aegri statum fore satis constat. Ab expectationis mensura nil judicare licet, si ad eam solam respiciatur; aliis vero perpenfis symptomatis medicum, in prognosin suam faciendõ, hæc fortasse adjuvabit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Phthisi homines, quamprimum ad pubertatis ætatem pervenerint, maxime obnoxii fiunt; tricesimo autem anno et quinto peractõ, eam evasuros fortasse pronunciare licet; huic, plerumque etsi vero, quaedam obijcienda; nulla enim ætas vim ejus eludit; infantes ipsi, mense secundo vix exactõ, perierunt †. De laborantibus phthisi observatum fuit, temperamentum sanguineum vulgo iis contingere, quod cutis nitidus albor,

C

capilli

† Reid on Phthisis Pulmonalis.

capilli color rufus, orisque nitor fere defignant. Hujusmodi peculiaris constitutionis signa a scrophulosa tabe oriri contendunt quidam, et hoc vitium singularitatemque quandam in corporis confirmatione denotat. Malam conformationem ad praedispositionem substruendam multum valere hinc patet, quod eo morbo laborantibus plerumque contingit, ut, praeter delicatam solidae compagis teneritatem, longa graciliaque colla, pectora perangusta, et humeros, alarum instar, prominentes habeant. Ad hoc confirmandum sententiam ex celeberrimo auctore, quae sequitur, enumerare liceat :
 ‘ Adolescentes, qui pectoris et corporis fere totius
 ‘ musculos graciles, tenues, et laxos habent, ut pluri-
 ‘ mum in tabem delabuntur †.’ Negligentiae jure accusarer, scriptorum plerorumque in hoc morbo animadversionem si silentio praeterirem, nempe, phthisin inter et scrophulam magnam esse similitudinem, et idem utrisque vigere temperamentum. Hujusce observationis veritatem nemo inficias ibit ; ex argumentis, quae ad eam probandam afferri possunt, sequentia a Culleno nostro suggesta sponte occurrunt : ‘ Liberos eorum,
 qui

† Clift. Winttingham Bar. Com. sect. 28.

‘ qui in juventute scrophula laboraffent, phthifis faepe
 ‘ aggreditur; primo phthifeos adventu tumores lymphati-
 ‘ tici externi apparent, tabefque mefenterica, morbus
 ‘ certe natura scrophulofus faepé eam comitatur *.’
 Hic quaeri poteft, quid impedit quin morbi, qui adeo
 fimiles existimantur, eadem vigeant aetate? Quamo-
 brem hujus tenella sub aetate fiunt impetus, dum illius
 ufque ad pubertatem prorogentur? Cum Hallero il-
 luftri et celebri auctore Reid nulli certae aetati phthifin
 propriam effe affirmarem; fed ignorantiam confiteri
 malle, ex testimonio virorum de medicina optime
 merentium convictus †, scrophulofam effe phthifin, tam-
 etfi in me, quare interdum folum internas, interdum
 externas folas partes aggreditur scrophula, vel quare
 pulmones

* Vid. Culleni Prim. Lin. Vol. 2.

† Mead, Sydenham. Ille in Monit. et Praecept. Med. Tom. 2.
 Cap. 15. ita loquitur: ‘ Et perfecto, fi verum dicere liceat, in noftris
 ‘ faltem aliifque borealibus regionibus, e ftroma ut plurimum oritur
 ‘ illa (nempe phthifis) pernicies.’ Hic sagaciffimus notat aegros
 quofdam, phthifi laborantes, tumoribus natura scrophulofis in glandu-
 lis cervicalibus etiam tentatos effe, qui phthifi fanata rursus evanef-
 cere.

pulmones alia aetate, et alia aliae partes impetibus ejus maxime objiciuntur, explicare non est. Hanc priusquam dissertationis partem relinquam, morbum foemineo, quam virili sexui, perniciosiorem fieri notare liceat, quod nimirum ex habitu molliori, causarum viribus excitantium magis opportuno, me judice, efficitur.

CAUSÆ OCCASIONALES

Sunt, *1mo*, Quae in toto corpore operantur ; *2do*, Species acrimoniae diversae ; et, *3tio*, Quae pulmones ipsos speciatim afficiunt. Caput primum animi affectus, victum copiosum, vitam sedentariam, et evacuationum suppressionem, sicut in amenorrhoea accidit, complectitur. Has tamen non memoravi, quod vim iis ineffe morbum excitandi conscius sim, sed quia ita sibi vult consuetudo. Sub capite secundo, acrimoniam exanthematum, variolae scilicet, rubeolae, aliorumque, aliquantum in tuberculis formandis valere posse observandum, aliterque vero an morbum unquam excitant, dubitari potest : Acrimonia syphilitica, ut morbum excitans, memoratur ;

ratur; verifimillimum tamen videtur, phthifin in opportunis folis eam comitari: De hac re Mortonum illuftrum citare liceat: ‘ Verum, ut rem ipfam loquar, rariffime, fi unquam, phthifin pulmonalem obfervavi, praeterquam ubi pulmones jam prius obftructi, et in phthifin difpofiti fuerant *.’ Acrimoniae fautores morbum noftrum ex fcorbuto, eruptionumque fupprefione oriri poffe, etiam volunt; fed, ut mihi videtur, idem in hac, ac in acrimonia fyphilitica, valebit argumentum, nosque eam rejicere inducet. Tria phthifeos exempla a Doctore Culleno memorantur, quae caufa fingulari orta, calcariae nempe materiei in pulmonibus concretione, ipfi occurrebant †. Unus ex aegrotis mortuus eft; reliqui regimine antiphlogiftico fanati funt. Ultima acrimoniae fpecies, de qua differere ftatui, eft fcrophulofa. Quantum ad phthifin efficiendam fcrophula valet, nemo nescire potest; ita ut fupervacaneum videatur rem, cui fides tam univerfe datur, argumentis ullis comprobare, eo magis cum confideraverimus liberos eorum, qui poftea a phthifi abrepti fuere,

figna

* Phthifologia, lib. 3. cap. 7.

† Vid. Prim. Lin. Vol. 2.

signa scrophulae ex tumoribus in collis prodidisse, et praeterea scrophulorum posteros plerumque phthifica praedispositione laborare vivos esse. Alia causa excitans a Ramazzini et Morgagni memoratur, utpote molariis, linariis, et lapidariis operatoribus propria, pulvis scilicet cui semper objiciuntur, quae forsitan ad morbum excitandum in opportunis valeat. Contagionem quoque quidam existimavere excitantem esse causam; sed rem adeo incertam in medio relinquam. Tertium caput haemoptysin, pulmones post pneumoniam suppuratos, asthma, catarrhum, et tubercula complectitur. Quod ad haemoptysin pertinet, exempla non desunt multa, ubi morbum non effecit; interdum tamen ex pulmonum affectione scrophulosa oriri reperitur, et in hoc solo exemplo phthisin excitare videtur; experientia enim et usus auctorum, assiduaque observatio, morbum esse innocuum docet, cum strumae suspicio absit. Pneumoniam, nisi resolutio efficiatur, in ulcerationem et suppurationem terminare posse, facile concedam; hujusmodi vero ulcus sanari potest, ni pus ita contaminetur, ut ad hoc efficiendum inutile evadit. Eo observari licet, quod curationes toties perfectae in exemplis maxime periculosis, etiam

cum

cum phthisin ipsam adesse visum est, ulceris pertinaciam nos adscribere faciunt non aëris accessui, nec affiduo pulmonum motui in respiratione, at purulentiae vitiatæ *. Asthma utpote causa, quae hunc morbum excitat, memoratur, et violenta pulmonum agitatione inflammationem, tuberculorumque suppurationem, quae jam formantur, in praedispositis accelerari potest. Catarrhum hunc morbum inducere etiam existimatur, et in quibusdam exemplis ita fecisse videtur; quae tamen in hac re observata sunt, plurimae deceptioni obijciuntur. Catarrhus enim phthisi adeo se similem praebet, ut saepe alter ab altera minime discernatur, et haec

deceptio

* Celeber. Gregorius, in praelect. suis clin. exemplum memorat, quod ad hoc confirmandum multum valet: ‘ Quondam (ait) mulierem in Nosocomio, ex suppuratione post pneumoniam laborantem, habere mihi contigit; morbus eo processerat, ut diarrhoea, sudores colliquativi, ex expectoratio purulenta accesserant; denique adeo male se habuit, ut in lecto retinendam jussi, nedum moveretur, interiret; interea medicamina adhibui, quae symptomata levarent, quoniam mortem brevi subsequituram mihi persuasum fuit; brevi tamen ex insperato convaluit, et post sex hebdomadas penitus sanata dimittebatur.’

deceptio magis obtinere videbitur, si animadvertamus frigus, unde catarrhus oritur, tussim saepe excitare, quae ipsa phthisin introducit. Tandem ad tubercula perventum est, quae utpote scrophulosa, et frequentissimas phthiseos causas, ducam oportet; hujus rei ut veritas evincatur, ad cadavera dissecta referre liceat, per pauca tamen primam fatis manifestam reddent. Tubercula et scrophulae tumores perspicientibus, eandem et interne et externe prae se ferunt speciem; in utrisque suppuratio, non tamen benigni puris, obtinet; utraque sub idem tempus anni saevire incipiunt; aestatis calor violentiam, hiemis frigore inductam, vel prorsus tollere, vel saltem multopere diminuere videtur. Analogia autem tam manifesta patet, ut argumenta ad eam confirmandam supervacanea forent. Ad causam proximam jam procedere forte liceret; tubercula tamen in nostri formatione morbi adeo valent, ut eam lubenter postponam, dum de tuberculorum natura pauca investigavero.

DE TUBERCULIS.

Diversas opiniones, de hac re editas, seorsim perpendam : Prima, quae occurrit mentioni, est Doctoris Reid sententia ; exhalantibus facultatem ineffe existimat, lympham, quam evehunt, in fluidum viscidum adeo ut mox coaguletur, convertendi, unde pus etiam generari potest. Sed haec theoria parum stabilita videtur, cum reputemus quot substantiae, praeter spissatam lympham, in tuberculorum compositione compertae sint ; quidam steatomatibus similia, dura, firma, ad osseamque duritiem appropinquantia ; alia tamen mollia, lenta, et flexibilia invenere ; unde ex lympham sola non posse oriri satis constat. Alii causam tuberculorum in explicando in sententias diversas abierunt ; pulmonum cum vasa in hoc morbo quantitatem sanguinis insolitam admittere conjiciebant, magnam feri excretionem etiam obtinere existimabant, quae in tela cellulosa stagnando in pus mutabatur, speciemque tuberculorum assumpsit. Theoria, supra dicta, a Pringelii et Gaberi

opinionibus de puris generatione originem ducit; hae tamen nuper ab accuratissimo auctore Brugmans everfae sunt, qui suis experimentis memoratis corollarium sequens deducit. ‘ Non ergo pus ex liquoris cujusdam corruptione nascitur, sed per solam peculiaris humoris vere secreti inspissationem existit; intra vasa praeparatur, et latice aquoso solutum ejicitur *.’ Hanc igitur theoriam, principiis refutatis pendentem, rejiciamus oportet. Postrema opinio, quae hoc in loco recensenda est, tubercula lymphaticas esse glandulas, quae inflammationem quandam subiere, affirmat. In hanc sententiam, Morgagni et Morton, medicinae lumina vera, ivere; cum quibus clarissimi Professoris nostri opinio quoque coincidit †. Huic theoriae tamen fides non datur implicita; homines enim aequae conspicui eam evertere conabantur; illi, Hewson et Reid non solum obviam ivere, sed etiam in pulmonum substantia ulla extare glandulas lymphaticas negaverunt: Aliter tamen sentire videntur alii, nec minoris famae medici; testi-

bus

* Brugmans de Puogenia, pag. 115.

† Vid. Prim. Lin. Vol. 2.

bus enim anatomicis eximiis †, in pulmonibus ipsis glandulae lymphaticae reperiuntur. Morgagni igitur, Mortoni, Culleni, Leberi, et Cruikshankii testimonio adjunctus, argumento nullo comprobato, quare pulmonibus, tanti visceribus momenti, lymphaticae abessent glandulae, et cum analogia eorum existentiae adeo favet, quantum acunque sit magnitudo, vix temeritatis accusari possum, si in pulmonibus lymphaticas esse glandulas affirmarem, et tubercula ex his formari, morbo quodammodo mutatis.

C A U S A P R O X I M A.

Varias causas proximas, quas huic morbo auctores adscripserunt, hic enumerare non est mihi consilium, quod et supervacaneum et inutile foret; sufficiat si modo constet, tubercula inflammationem admittere, ut in dis-

sectione

† Leber nempe et Cruikshank; ille in praelect. suis anat. hic in libro De Vasis lymphaticis, pag. 128.

fectione visa, auctorumque testimonia † fatis demonstrant ; haec vero inflammatio nisi resoluta, in suppurationem abit, illamque ulcera, quae causam proximam duci vellem, comitentur necesse est.

QUORUNDAM RATIO SYMPTOMATUM.

In hac opusculi parte omnia symptomata, quae phthisis exhibet, me explicaturum vix expectandum est ; quare ad praecipua tantum animum advertam, ordine, quo in historia memorabantur, observato. *Tussis* ratio facile reddi potest, si reputemus, omni fere pulmonum affectione, irritatis bronchiis, hoc symptoma conjungi. *Dyspnoea* ex tuberculis in bronchias prementibus oritur, unde et ingressui aëris et exitui in respiratione resistitur. *Maculam* in genis, exacerbatione obtinente, nulla theoria haëtenus edita explicare potest ; nam cum Dr Kentish affirmat ‡, ‘ propter sanguinis determinationem
‘ ad

† Culleni et Hoffmanni.

‡ Vid. Inaug. Dissertat. Edinburgi editam, anno 1784.

‘ ad vasa semper ibi superficilia, recte, ni fallimur, explicatur,’ priusquam theoria admitteretur, circularem esse vasum ordinem in utraque gena, reliquamque autem genarum partem vasculis carere demonstrandum esset. *Diarrhoeae* ratio est perobscura; a debilitate enim viscerum chylopoieticorum affimilantiumque si concederetur oriri, ne hoc quidem satis esset ad phaenomena explicanda, praesertim si sudoribus eam alternari reputemus. Si humorum determinationi nunc ad corporis superficiem, nunc ad intestina, ascriberetur, nequaquam promovetur res; quae fiunt enim sola hoc modo narrantur. Quare cum de ea nihil certi in medicorum scriptis inveniverim, et opinionem novam emitte nolle, ubi tot difficultates fere insuperabiles occurrunt, eam in medio relinquam. *Oedemata crurum* ex tardo sanguinis a debilitate per venas refluxu oritur, ex quo fit, ut magna pars in arterias rejiciatur, in exhalantia earum major determinatio subsequitur, eaque exoritur effusio, quae symptoma hocce inducit.

CURATIO.

C U R A T I O.

Unusquisque medicus sagax, cum morbi medelam susceperit, et praedisponentem corrigere, quantum in se est, et excitantem debet dimovere causam. In hoc autem morbo medicorum curam tam parum valere dolendum est; de priore enim, saepe ex prava confirmatione oritur, ergoque medici conatus incassum adhiberentur, et tuberculorum quae phthisin excitare demonstrare aggressus sum, nulla remedia satis efficacia formationem ad prohibendam, aut ad curationem efficiendam, haecenus explorata fuere. Analogia, quae universo fere consensu scrophulosos tumores inter et tubercula extare conceditur, medicis mercurium, corticem Peruvianum, lavationem maritimam, aliaque remedia, quorum usus in scrophula valere videbatur, phthisicis commendare persuasit; eventus tamen eorum spem fellit; nec mirum, nam scrophula medicamentis saepe cessasse traditur, natura sola eam levante, et phthisis saepe citatissimo pede cursum peragit, dum haec remedia,

media, quod in struma valuerant adhibita, tarde operantur. Proximae causae cum accuratissime determinari possint, medicum in morbo curando nec immerito dirigere oportet; hoc vero nequaquam in phthisi obtinebit; tuberculorum enim ulcerationem, causam morbi proximam, sanare frustra nitimur. Balsama et alia remedia, ad ulcerationes externas feliciter administrata, adhibita sunt; experientia autem, qua duce medicus constanter uti debet, quam futile esse hujusmodi medellam aggredi saepius edocet. Nequicquam quidem, me judice, vel tuberculorum formationem arcere, vel ulcerationem sanare conabimur; hinc igitur colligendum, quantopere remedia adhibenda, quibus eorum inflammatio vel praecaveatur vel resolvatur, cujus ulcerationes omnium mediamentorum vim eludunt;

‘ Principiis obsta; sero medicina paratur,

‘ Cum mala per longas invaluere moras.’

Ex jam dictis indicationes sequentes ponere licet;

1^{mo}, Tuberculorum inflammationi occurrere.

2^{do},

2do, Immoderatum humorum pulmones versus fluxum ad superficiem dirigere.

3tio, Quorundam symptomatum violentiam levare.

Ad primam indicationem exsequendam,

1. *Regimen antiphlogisticum* caute persequi oportet, praesertimque ad aegri diaetam animus advertendus. Quam necessarium huic morbo justum alimenti regimen sit, urgere supervacaneum foret; hoc etenim neglecto, aeger frustra medicamentis replebitur. Alimentum stimulo quam maxime expers, et concoctum facile, quaeratur oportet, hujus generis est lac; cujus beneficia seculorum experientia testatur; lac potissimum adhibetur, vel foemineum †, vel asininum, vel equinum, vel caprinum. Contendere cum his, qui uni tantum speciei lactis enixe favent, reliquasque repudiant, nequaquam inducor; speciei uniuscuique sua inest virtus, et, me quidem judice, proderit, si caute et prudenter administratur. Quam maturrime in hoc morbo lac exhibendum,

nec

† Hoc lactis genus, etiam cum morbus longe processisset, penitus curationem effecisse dicitur. Vid. Robinson, part. ii. p. 148.

nec parca manu porrigendum, modo aegri ventriculo conveniat. Quod ad tempus administrandi attinet, in parvulis potionibus mane, dum aeger in lecto sit, plerumque adhibetur; haud bene vero; aegri enim, tepido hausto lacte, saepissime sudore afficiuntur, quae res ipsa talem lactis usum esse perniciosum confirmat †; quovis diei tempore alio tuto adhibetur. Lac ebutyratum, quippe refrigerans, ad libitum bibere liceat. Lacti tamen nulla inesse incommoda vix sperandum; alvum interdum adstrictam reddit, interdum nimis coagulatur, et ita nocivum evadit; ambo mala tamen evitanda magnesiâ addendo, quae alvum laxam tenebit, ventriculique aciditatem corrigendo coagulationem praeveniet. *Carnes* in omni phthiſeos stadio religiosissime vitantur, incunte morbo, symptomatisque inflammationis urgentibus, usu carniû haec deteriora reddentur; sub finem morbi tamen parciolem victum mortem maturasse, et vitam prolatam, aut magis tolerandam redditam, ex contrario solo regimine, experientia docuit; et Professoris jure celeberrimi (Gregorii) praelectiones hujusce veritatem testantur. Phthiſi laborantem irrita-

E tionem

† Cullenus cel. in praelectionibus suis.

tionem partis affectae omnem in respiratione violenta ortam cavere oportet; igiturque exercitationem validam, quae sanguinem per pulmones citeriori cursu impellere tendet; irritatio etiam, faecibus retentis orta, dimovenda; frigus vel calor intensus effugienda. Dum ita ad corpus curam adhibemus, animi status minime negligendus: Æger quam maxime pathematis vehementibus vacuus servandus, quae stimulo suo noceant; de animi depreffione etiam cavendum; in hoc tamen morbo, quae irritant, magis timenda.

2. *Venaesectio.*—Venaesectionem multi laudavere, aliquandoque, ut opinor, haud immerito; sine discrimine tamen uti minime admitti potest. Horum igitur symptomatum mentionem persequar, quibus vigentibus, hoc remedium necessarium evadit; tussis sicca, pulsus plenus, durus, et creber, in thorace dolor, respiratio difficilis et molesta, inter haec symptomata numerantur; sanguinem emitti parce oportet; copiosa enim deductio, paululum etsi sublevat, debilitate inducta, morbum accelerat.

3. *Re-*

3. *Refrigerantia.*—Multi refrigerantibus inflammationis tuberculorum minuendae facultatem magnopere adscribere, et acidis, aqua dilutis, eo praecipue utuntur. Poma, fraga, aliique fructus acescentes etiam praescribuntur, nec immerito, saepe enim profunt; suo tamen incommodo minime carent; illa enim, tracheam irritando, tussim excitant; haec, intestina commovendo, diarrhoeam inducunt; quare medicus, arte peritus, usum eorum in hoc statu suspendet.

Indicatio secunda tam manifesta videtur, quam nihil nisi remedia enumerare mihi relinquitur:

1. *Exercitatio.*—Commoda ex exercitatione provenientia omnes fatentur; de specie tamen, optime morbo accommodata, diffident. Ambulatio huic morbo minus convenire videtur, utpote nimis vehemens; hoc exercitationis genere jure repudiato, medici *equitationem, navigationem, et in sedicula pendula agitationem*, proposuere. De *equitatione* doctissimi Sydenhami verba, in literis ad Doctorem Cole, transcribere liceat: ‘ quod neque mercurius in lue venerea, neque cortex Peruvia-

‘ nus

nus in intermittentibus efficaciores extent, quam in
 phthisi curanda exercitium jam laudatum; modo
 aeger curet ut lintheamina lecti probe fuerint arefacta,
 atque etiam ut fatis longa itinera emetiatur*. Quam
 temere haec affirmantur, alii judicanto; observare so-
 lummodo licet equitationem, celeberrimis medicis testi-
 bus †, pessimos saepe edidisse effectus, quare non sine
 cura praescribenda; inveterante morbo, semper nocet;
 ineunte tamen, mane praecipue, die serena, equitandi
 exercitatio forsitan proderit; si cibi appetentiam pro-
 moverit, dyspnoeam minuerit, et cutem mollem sub-
 gelidamque efficerit, utilitas ejus fatis patebit; cum
 res autem diverse sese habet, intermitti debet. Aucto-
 res antiquiores, aequae ac recentiores, *navigationem* sum-
 mopere laudarunt; ex illis, Coelium, Celsum, et Pli-
 nium, ex his, Boerhaavium, Mead, Whytt, Cullenum,
 et Gilchrist, enumerare licet. Omnes de utilitate con-
 sentiunt, de modo vero agendi discrepant; alii effectus
 balsamico resinosoque aëri a nave inspirato, alii autem
 salinis

* Vid. Sydenhami Opera.

† Morgagni, Fothergill, et Clift. Wintringham. Bar.

salinis bituminosisque particulis ex mari eadem via ingestis, ulcera pulmonalia sanantibus, ascribunt; hae theoriae tamen mihi nequaquam arrident; eas vero refellere non est mihi consilium, quod nec tempus, nec res ipsa, aliis refutata, hortatur; quare opinionem de hac re verisimillimam memorare mihi satis habeatur. In exemplis a Doctore Gilchrist editis, qui de hoc remedio multum differuit, aegri fere omnes nausea afficiebantur, cujus vires ad superficiem determinandi manifeste patent; et quamvis admitteretur curationes effectas esse, ubi nausea vix ulla obtinuit, aequabilis tamen navis motus, interdiu et nocte, mire ad lenem perspirationem sustinendam valet, quod solum hic ostendere vellem, et in quo reliquis gestationibus plurimum praestat.

In sede pensili motatio.—Hoc de remedio Dr Carmichael Smith libellum edidit, in quo tredecim exempla enumerat, omnia quae, ipso duce, auspicato terminabantur, unde in cor et pulmones confestim et haud parva vi, operari colligit; propterea quod frequentiam pulsus reducit, calorem minuit, tussim suspendit, vel
prac-

praevenit, expectorationemque promovet. De hoc remedio alii medici, Cullenus nempe et Gregorius, periculum fecere, eventu vero non adeo felici; de hac gestatione tamen prematurae forent observationes, donec experientia usus vel repudietur vel confirmetur.

2. *Emetica*.—In emeticorum administratione cautus fit medicus; si apta judicantur, ita ut nauseam cieant adhiberi debent; emeticis ita exhibitis vasculorum actionem in superficiem excitari, et fluidorum ad pulmones determinationem auferri, concedendum est; iis tamen sine discrimine uti, ut Reid suavit, haudquaquam licet; morbi initio ad nauseam exhibeantur, saepius tamen minime repetantur, alias enim debilitas certe subsequutura fit.

3. *Vesicatoria*.—multum prodesse possunt, quum humores stimulo ad superficiem deducunt, doloremque lateri infixum tollunt.

4. *Setacea*.—Johannes Pringle Eques magnopere laudavit; medicamenta pauca, si huic scriptori credere velimus,

illimus, medici studium aequè merentur ; sed plura de hac re qui volunt scire, auctorem consulere licet *.

5. *Causfica et Fonticuli* ad idem consilium, et saepe eodem successu, adhibentur.

6. *Sanguinis detractio topica*—in quibusdam morbi conditionibus utilis evadit, et eo cucurbitulae hirudinesque artis idoneae videntur. Si dolor in latere adhuc persistit, etsi copia sanguinis e brachioeducta fuerit, ad hoc remedium confugiendum, utpote ad congestionem topicam dimovendam idoneum, nec incommodis obnoxium, quae sanguinis detractioem generalem sequuntur.

7. *Vestitus calidus*.—Omnium modorum, quos varios medici perspirationem ad sustinendam adhibent, nullus pro simplicitate et usu, quam vestitus calidus, magis extollendus ; ad hoc propositum lanea pro lintea subucula assumenda ; et quamvis cura a lino minuta supervacanea videatur, tibialia lanea calida praescribere

* Vid. Pringle's Diseases of the army.

praescribere vellem; nonnihil enim periculi frigore ad pedes applicato exoritur; haec monita vix inania videbuntur, quum animadvertetur, perspirationis obstructionem in omnibus morbis, in hoc vero praecipue, ad interiores partes determinando, maximum periculi sequi.

8. *Temperies coeli.*—Laborantibus phthisi coelum Britannicum adeo infestum esse haud parum dolendum; multis enim de causis, patria plerisque est reliquis regionibus carior. In hac quidem plaga gratum anni tempus per paucos tantum perstat menses; igiturque, quo Boreae violento minus objiciatur, et irritamina, ex aestivis caloribus orta, vitentur, se recipere aegrum oportet; hoc miro fuisse usui compertum habemus, adeo ut complures inde a morte abrepti fuerunt, quibus coelum idoneum petere contigit. Medici regiones, phthificis maxime accommodatas, intentissime spectavere, et ex eorum scriptis *Maderam, Italiam, Galliamque Australem*, phthisi laborantibus convenire videtur. Madera tamen

pro

eo temperie constanti caeteris multo praestat *. Ibi
 omnia aestatis commoda frui, et ingrata hiemis vitari
 possunt. In praelectionibus suis, Cullenus cel. aegri
 memorat exemplum, qui ad hanc insulam se recipiendo
 convaluit, tametsi morbus eo procefferat, ut sudores
 nocturni obtinuerant. Quidam Italiam laudarunt; de
 conspectio autem incommodo ut fileam, ex frigoribus ta-
 men, ibi haud raro valentibus, adeo ut thermoscopium
 ad congelandi gradum interdum decidat, multum peri-
 culi timendum. Nec coelum *Monspeliense* salutiferum
 habendum; venti enim ab excelsis et nivalibus Alpium
 regionibus vix vitari possunt. Dum ita de hiemalibus
 frigoribus caveatur, ardentes aestivi soles non minus
 effugiendi; quamprimum symptomata inde augeri vi-
 dentur, a sole longius recedendum est. In regionibus
 calidis, hiemem aegri vires penitus refecisse, ineuntem
 autem aestatem rursus fregisse, exempla non desunt †.

Ut

* Dr Heberden, qui quatuordecim annos in insula vixit, ideoque
 de temperie satis edoctus, thermoscopium in umbra septuagesimum
 quartum supra gradum ascendere, nec infra quinquagesimum quar-
 tum descendere, nunquam observavit.

† Cullenus cel. in praelect. suis.

Ut finem faciam, aegrum rus petere, urbemque quam maxime vitare debet; coeli enim puritas ruris et urbis longe alia est, quod ad consilium fanciendum satis existimetur. Ad tertiam nunc pergam indicationem; symptomata maxime molesta sunt, *imo*, Tuffis. Ad tuffim levandam *demulcentia* adhibentur; oleosa parum conveniunt, quippe, quae cum diu in ventriculo commorata sint, saepe nauseam ingratham inducunt; quare mucilaginosae jure anteponuntur, utpote hoc incommodo carentia. His autem medicamentis incassum adhibitis, ad *opiata* confugiendum; ineunte morbo, his objicitur, quippe quae diathesin phlogisticam augent; sub finem tamen quae sudores promovent; in hoc vero morbi stadio, omnes ad curationem nifus irritos fore satis constat; quare medici est navare operam ad viam mortis quam maxime facilem reddendam. Secundum symptoma levandum est *diarrhoea*; omnia *astringentia* adhibentur, quorum praecipua sunt terra Japonica, et gummi Kino. Magna *Mucilaginosi* vis in diarrhoea compescenda a quibusdam adscribitur. *Recentes fructus* etiam auspiciatissime adhibentur; sed tam in hac, quam in priore indicatione, *opiatis* potissimum confidendum.

in alio diarrhoeae genere, *purgantia* aliquando fortasse
milia evadunt ; in hoc tamen semper vitanda.

Opusculo huic jam coronidem imposituro, liceat
mihi grates gratissimas vobis, Professores spectatissimi,
praeceptores venerandi, vovere ; gratiis enim tantum
commoda, quae ex vestris doctrinis hausi, rependere
suffum : Tibi praesertim, Gregorie celeberrime, qui
hanc dissertationem eo animi candore, ea amicitia, ea-
que iudicii vi, quibus emines, perlegisti et emendasti,
semper me devinctum tenebo. Hic vero aliquid amici-
tiae indulgere vellem ; nam tui, Samuel Crumpe, juve-
nis et ingenio et virtute praeclare, haud facile oblivif-
car ; commoda et voluptas, quae ex sodalitia et con-
ubernio tuo feliciter sum expertus, multum me dolere
faciunt haec tam brevi desitura.

F I N I S.

In alio distichone generis, Angustinis aliando fortasse
nulla ex parte, in hoc tamen semper vitanda.

Quotiens hinc iam coronidem inpositum, licet
nisi gratia gratissima verba, Professores (proferantur)
Prospere gerenda, sicut; gratia enim tantum
commenda, quae ex vestris doctrinis hinc respondere
potest: In praeterea, Gregorie celebrant, qui
hanc distichonem ex simili calore, ex simili
que modo, et quibus causis, periculis et curandis
semper me devotissimus teneo. His vero aliud
non indiget velle, non tamen, Semper juve
at et regno et vultu, pascere, hanc saltem obli
gat, commoda et vestris, quae ex vobis et con
turbata non scilicet non expertis, vultum me dicitur
facere, hanc tam brevi delecta.



